



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

25. In Adventus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

§. 4tus.

De Proprio de tempore circa horas.

25. In Adventu.

EX Gav. Sect. 6. à c. 1. nota sequentia. 1^{mo}.
 Omittuntur suffragia Sanctorum. Nè ante
 Christum natum videamur implorare eorum
 opem; quos ipse Christus adventu suo sanctifi-
 cavit. Nec fit commemoratio Crucis; ne vi-
 deatur passus, antequam natus. Nec de pace,
 quæ ante ejus nativitatem non fuit inter Deum
 & homines. Sed eo nato promulgata est ho-
 minibus bonæ voluntatis. Et hinc etiam divina
 sic disposuit providentia, ut circa Christi nati-
 vitatem pax esset in universo mundo, ideoque
 templum Jani Romæ clausum. 2^{do}. Post pri-
 mam Lectionem Dom. 1. Adventus primi No-
 cturni singulare quid præ cæteris habet Respon-
 sorium primum, quod incipit: *Aspiciens à lon-
 gè*. Habet enim tres Versus, quod nullum ha-
 bet Responsorium; & hi dicuntur nomine
 trium ordinum; qui ante legem scriptam in le-
 ge & post legem Salvatorem venerantur. Qui-
 bus additur *Gloria Patri*, (quod aliàs tantum in
 tertio Responsorio dicitur) in laudem sanctissi-
 mæ Trinitatis, quæ tandem Messiam in terras
 mittit. Repetitur à capite Responsorium, quia
 denuò à fidelibus expectatur Adventus Domini
 in judicio. 3^{tio}. In Dom. 3. Adv. mutatur In-

vitorium, quod concordat cum Capitulo Vesperatum & Laudum, ad excitandos animos erga Christum venientem. 4^{to} Antiphonæ majores, sive illæ, quæ septem diebus ante Nativitatem Domini recitantur, incipientes ab O, recitantur *ad Vesperas*, quia Christus expectabatur ad Vesperam mundi. Dicuntur *ad Magnificat*, quia adventus Christi maximè concernit B Virginem cantici *Magnificat* auctricem. Duplicantur ex integro hæ Antiphonæ ad explicanda iterata suspiria SS. PP. & Patriarcharum. Sunt autem septem numero Antiphonæ ad significandam septiformem per Christum Spiritus S. gratiam, & septem humani generis miseras in memoratis Antiphonis indicatas. Quorum causâ indigemus Doctore contra ignorantiam, redemptore à pœnis æternis, liberatore à servitute Diaboli, eductore à consuetudine peccati, illuminatore variarum animi tenebrarum, Salvatore ad reducendos exules in patriam tam gentes, ut sexta Antiphona meminit, quàm Judæos, ut septima. Sicut autem in Adventu, ita & in Sabbatho S. oratur ultimò pro Judæis. Quòd confirmat antiquam traditionem, Judæos priùs circa finem mundi ad Christum convertendos, ut unum simul ovile faciant. Porro hic numerus Antiphonarum septenarius desumptus est ex II. c. 11. Præcedunt has majores Antiphonas peculiare alia ad Laudes, quasi preparatoria ad majores. Ut præparemur ad renovandum spiritum mentis nostræ ratione Adventus Domini.